Pietrzykowo intromissio.

Ministerialis Generalis Regni Poloniae Felix Godlenski de cuius autentico et iuramento
Officio praesenti bene constat Una cum Nobilibus duobus Mathia et Andrea Pietrzykowskiemi coram
eodem Officio Castrensi Capitaneali Bransten personaliter stans palam publice ac libere recognovit Quia feria sexta
post Festum Sancti Mathiae Apostoli in Anno Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo proxime
praeterita condescendendo ad bona Villae Pietrzykowo Golebki ibidem Nobiles Stephanum et
Petrum filios Nobilis Petri Pietrzykowski in bona omnia mobilia et immobilia eiusdem per Nobilem
Simonem olim Joannis Pietrzykowski modo donationis coram actis autenticis inscripta et resi-
gnata iuxta latiorem eiusmodi inscriptionis continentiam ex libera admissione eiusdem recognitis
nemineque alio tam in bonis praefatis quam dicicirca acta Officij praesentis impugnante nec contra-
dicente intromisit investiuit et in possessionem pacificam de iure contulit et assignauit De
quo hanc suam relationem praefatis Ministerialibus Nobilibus eam in toto attestantibus fecit.

Girzykoicz Donatio.

Coram Officio et actis praesentibus personaliter comparens Nobilis Joannes Brzezinski filius
olim Nobilis Adami Brzezinski de Brzeziny tam nomine suo et Nobilis Seraphini
Brzezinski fratris sui germani a quo de rato et grato cavet sanus mente et corpore existens
publice et libere recognovit Quia Generoso Gaspari Mondwit Girzykowicz Gladifero Po-
dlachiae et ipsius posteris Subditum suum haereditarium natiuum Laboriosum Martinum Li-
chanski cum eius Uxore pueris pecudibus pecoribus totaque substantia et suppellectili dome-
stica censibus dierum laboribus angarijs et cuncta obedientia nec non cum omni iure suo
dominio proprietate propinquitate ac titulo haereditario nihil sibi et praefato fratri suo ad
eundem Subditum praetensionis reservando perpetuis temporibus dedit donauit irreuocabiliterque
resignauit et inscripsit Cuiam ex nunc intromissionem realem cum libero Usufructu praefatus se ac-
ceptandam dat et admittit, omnique iuri suo et posteritati renunciat Dando et concedendo
eidem Generoso Gladifero omnimodam et absolutam facultatem eundem subditum accipiendi
et in suam potestatem et Dominium recuperandi ac pro Usu suo convertendi.

Bruszewski Kobylinski Approbant.

Coram Officio et actis praesentibus personaliter comparentes Nobilis Stanislaus olim Laurentij Bruszew-
ski ab Una et Nobilis Joannes olim Joannis Kobylinski partibus ab altera sani men-
te et corpore existentes palam ac libere recognoverunt Quia ipsi intercisam certam seu contra-
ctum inter se ratione certarum condonum conscriptam de data in Bruszewo feria secunda
post Festum Sancti Francisci Confessoris anno praesenti confectam Vadiorum Triginta
Florenorum Polonicalium firmatam in omnibus eiusdem intercisae punctis clausulis articulis et con-
ditionibus approbant confirmant et ratificant eaque omnia in eadem intercisa descri-